DE STUDIORUM HUMANITATIS CUM THEOLOGIA CONJUNCTIONE.

Programm

nebst beygefügtem

Jahresberichte der K. Studienanstalt

womit zur

öffentlichen Preisvertheilung

auf den 8. September alle Freunde der Studierenden ehrerbietigst einladet

J. H. Hertel,
Rector und Professor.



Zweybrücken, 1825.
Gedruckt bey G. Ritter und Compagnie.

De studiorum humaniorum cum theologia conjunctione.

Rerum, quarum cognitio menti humanae vel usu et experientia vel sola ratione datur, immensa est multitudo. Cui si compares exiguum vitae spatium, homini concessum, paucis admodum annis definitum, facile perspicias, brevius esse, quam quo infinitum illum rerum numerum complectamur. Nil mirum itaque, exstitisse subinde viros, qui hoc secum reputantes, tacite de vitae brevitate quererentur, quod Theophrastum morientem diserte fecisse testis est *Cicero*, narrans, *accusasse eum naturam, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interstit; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset, quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.*

Sed istiusmodi querelae, vel optimo consilio erumpentes, non valent naturae leges immutare. Fuit semper eritque, *ars longa, vita brevis.* Accedunt vires humani ingenii variis rebus, conditione, in qua nati sumus, loco, in quo vivimus, hominum, quibuscum nobis res est, consortio, peculiaribus civitatis legibus, sensuum fallacia et similibus ita circumscriptae, ut ne ad illarum quidem rerum, quae nostris temporibus vel sunt vel

fiunt, cognitionem certus pateat aditus. Maximam denique vim exercent varia hominum studia, quibus alii ad alia ita impelluntur, ut coeco quasi impetu, neglectis ceteris omnibus, ad ea tantum ferantur, ex quibus vel utilitatis vel voluptatis plus percepturos se putant. Haec et alia huiusmodi cum diligenter animo perpendissent, qui variis temporibus formando hominum generi operam dederunt, ut caverent, ne mens humana per immensum illum rerum omnium orbem, tot tam varia perlustranda exhibentem, vaga atque incerta erraret, neve, dum omnia amplecti vellet, Ixionis ad exemplum, nihil nisi nebulam amplecteretur, mature disquirere coeperunt, quid *universos* homines scire oporteat, quid *singulos* [1]). Ad prius merito refertur cognitio eorum, quae scire debet, quicunque hominis nomine et virtutibus, quibus natura humanum genus a brutis distinguere voluit, dignus esse cupit; quae quidem singula enarrare, non est huius loci. Posteriori annumeranda esse in genere omnia, quae cuilibet pro singulari, quod electurus est, vitae genere et palaestra, in qua vires suas exercere volet, cognita et perspecta esse necesse est, patet per se. Dum illa omnium hominum communia esse debent, haec in variis pro diversitate studiorum varia esse possunt. Utrisque optime instructi esse debemus, si homines vere dici, quam brutis accenseri, si bene praeparati in pulverem atque solem prodire ibique tum nobis ipsis tum aliis utiles esse, quam in tenebris et obscuritate nihil vel futilia agentes turpiter aetatem degere malumus.

Sunt vero praeterea et alia, quae, licet cum illis collata minus necessaria videantur, nescire tamen ingenuum hominem, nedum eruditum, non decet. Servilis enim ingenii est, sibi tantum vivere suaque curare, aliorumque commodo et voluptati non studere, nisi vile lucrum inde paretur; quod manifesto faciunt illi, quorum aliud quidquam, quam quo vitam aliquando sustentent, cognoscere nihil interest. Liberalem contra hominem

---

1) Disquisitio, a recentioribus inprimis facta, quid omnino sciri possit, quid minus, est illa quidem utilissima, cum assignandis mentis humanae limitibus homines revocet a vano conatu, investigandi res, quarum nulla unquam esse potest cognitio; sed tamen minus ad rem praesentem facit, quapropter supervacanea visa est eius in contextu mentio.

decet altiora spirare, non sui tantum rationem habere, sed *nihil humani*, ut *Chremes* ille Terentianus ait, *a se alienum ducere*, adeoque id agere, ut cognitis, quae in priscis temporibus scitu digna reperiuntur, iisque utiliter ad praesens aevum, quaeque in eo gesta et inventa sunt adplicatis viam ad futura muniat; quo fit, ut non cum coaevis solum, quibus utilem se praestat, sed cum prioris etiam memoriae hominibus et, quoad eius fieri potest, cum posteris quoddam habeat commercium. Quem, cum totum genus humanum animo complectatur, si humanum jure vocamus, studia, quibus op eram navat, *humanitatis* nomine merito ferentur.

Haec igitur studia humanitatis theologo inprimis decori atque ornamento magnaeque utilitati esse brevibus ostendere in animum induximus, tum ut refellantur pusillanimi illi patres, quos filiorum, ut ajunt, tot *inutilibus* rebus in schola vexatorum miseret, tum ut convicia, a quibusdam, qui suam ipsorum inscitiam alio modo defendere non possunt, in haec studia iactari solita, vana esse appareat, tum vero etiam ut juvenes theologos futuros, qui vel ab istiusmodi hominibus in errorem inducti, vel per se socordiae genio indulgentes, omnia humanitatis studia superflua ducunt, ab isto errore revocemus, et ad studia illa incitemus, quorum neglectorum seriore aetate ipsos et pudebit et poenitebit. Quo proposito, quamquam orbi literato nihil novi afferimus, scholae tamen nostrae juvenibus, theologiae operam daturis, quibus, quae identidem hanc in rem ab aliis dicta sunt, nondum innotuerunt, utiles nos fore confidimus.

Ne tamen nominibus utamur, de quorum sensu ambigitur, ante omnia quaerendum est, *quae vulgo dicantur studia humanitatis;* deinde indicandum, *quem ex iis usum capere possit theologus.*

Humanitatis nomine quare insigniantur haec studia, ex iis iam perspicuum est, quae paulo superius diximus. Solent enim hominem reddere humanum, mentem formare, ingenium literis augere utilibus, animum colere, mores emollire. Objici quidem possit, fuisse et esse etiamnum, qui literis humanioribus dediti, nihil minus sint, quam humani, quippe qui quemvis alium superbe prae se contemnant, nil rectum, nisi quod placuit

sibi, ducant, indomitam effrenamque exercere velint in rep. literaria dictaturam, adversarios, ubi rationes deficiant, conviciis atque injuriis incessant, quorum vel infimam pudeat plebem, adeoque vere inhumani dicendi sint. Sed qui eiusmodi proferunt cavillationes, admonendi sunt, non vituperare eos studia, de quibus nobis sermo est, sed prava atque arrogantia hominum ingenia, quorum ferociae et insolentiae ne optima quidem remedia possunt mederi. Cujus enim ingenium a teneris ita depravatum est, ut nulla re, nisi inanis gloriae et commodi studio duci se patiatur, is ad studia humaniora eo tantum fine se adcinget, ut iis utatur ad gloriae studium et ventris, ut ita dicam, appetitum quovis modo explendum. Contra, qui solo veri studio ductus, modesto animo et discendi cupido ad literas humaniores accedit, fieri non potest, quin earum studio evadat humanior. Verissimum enim est, si quid aliud, tritissimum illud *Ovidii*:

— — — didicisse *fideliter* artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Pertinent vero ad haec studia omnia fere, quae nostris temporibus in Gymnasiis, quae vulgo dicuntur, tractari solent. In his primas deberi studio *sermonis latini* nemo infitias ibit, qui cogitaverit, quot et quanta ex hoc studio commoda seculis praesertim abhinc quatuor non in eruditorum solum orbem sed in universum fere genus hominum redundaverint. Nullum fere est eruditionis humanae genus, in quo scriptores latini pro temporis illius ratione non excelluerint. Ex his itaque, renato literarum studio, velut ex fonte perenni, hauserunt, qui aetatis suae hominibus clariorem lucem praeferre voluerunt. Quod quo tandem modo factum esset, nisi in effera illa barbarie quaedam mansissent latinae linguae vestigia, quibus insistentes *Erasmus* et *Reuchlinus* et ipsi faustum pedem proferre et alios ulterius secum ducere potuissent? Satis est, haec breviter indicasse, ut appareat, quanti momenti sit studium sermonis latini. Neque vim habent, quae hodie millies audire taedet, *exstare omnium scriptorum latinorum optimas in omnes fere hodiernas linguas versiones, et praeterea, quae illi scripserint, commodius, clarius et plenius ex recensio-*

ribus scriptoribus, qui auctoribus latinis palmam praeripiant, intelligi posse. Quid igitur impedire, quo minus sermonis latini studio supersederi possit? Licet enim omnium linguarum communes quaedam sint regulae, suum quaeque tamen habet genium, quem qui volet vertere, evertet; quod in simili re Racinio accidit, qui, cum heroas Homericos in scenam producere sibi visus esset, fatuos et ridiculos Lutetianos produxit, uti lepide admodum narrat *Pfeffelius* noster. Omnis igitur versio, quamvis rara fide facta sit, opere ipso eo deterior erit, quod linguae, e qua versum est, genium perfecte reddere nequit. Scriptores vero recentiores quod attinet, merito gloriamur eorum virtutibus, et quicunque patriae gloriae studiosus, ceteroquin a partium studio remotus est, lubenter confitebitur, multis in rebus eos antecellere auctoribus latinis. Sed hos ipsos ideo praecipue tantae magnitudinis viros et esse et nobis videri, quod scriptorum latinorum humeris insistant, quis nescit? Quidni igitur, cum illi ex hoc fonte tantum sapuerint, et ipsi ex eodem haurientes ad idem evehamur artium et doctrinae fastigium? Considerandum est insuper, auctores latinos non posse oculo fugitivo perlegi, sed attentum requirere animum et judicium usu firmandum, atque ea, quae studiosius et veluti cum sudore quodam cognita comprehensaque animo habemus, magis nobis infixa manere, quam quibus nullo cum negotio imbuimur. Denique in maxima variarum gentium varietate linguarum consentaneum est, esse quendam inter eruditos sermonem communem, cum omnium linguarum hodie vigentium peritia vix ac ne vix quidem in quoquam desiderari possit. Uti igitur gallica lingua dignissima visa est, qua reges inter se utantur, ita latina lingua, de cujus regulis et sensu inter omnes constat, uti decet eruditos. Et hac ex parte rem si spectes, dolendum est, tot opera perutilia, in usum eruditorum edita, non latino idiomate scripta esse, quamquam ab altera parte confitendum, sermonem patrium tum demum augeri et excoli coepisse, quum viri docti ausi essent, eum in scriptis suis adhibere.

Secundum locum sibi vindicat studium *literarum Graecarum.* Pleraque eorum, quae de sermone latino modo attulimus, eodem jure valent de literis Graecis, quapropter non opus est, ut in enumerandis fructibus, quae ex his percipiuntur, multus sim. Illud vero

hoc loco notandum, Romanos non solum sermonem suum ad Graecum formasse, sed omnes etiam artes omnemque doctrinam, immo etiam vitae consuetudines ex Graecia petiisse.

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Neque dubitare licet, quin frustra apud Romanos quaereremus *Plautum*, *Terentium*, *Virgilium*, *Horatium*, *Ciceronem*, *Senecam*, *Tacitum*, *Sallustium*, *Livium*, etc., nisi prius fuissent apud Graecos *Aristophanes*, *Menander*, *Homerus*, *Alcaeus*, *Pindarus*, *Demosthenes*, *Zeno*, *Thucydides*, *Xenophon*, *Polybius*. Quae cum ita sint, quis miretur, Latinorum scripta penitus intelligi nisi ab eo, qui in Graecorum scriptis versatus sit, non posse? Quam in rem testem proferre liceat magnum illum *Ruhnkenium*, qui negat, se latinae linguae rationem prius clare perspexisse, quam cum Graecis auctoribus familiaritatem consecutus esset. Est igitur, quod gratulemur seculo nostro, barbarum illud proverbium, *graeca non leguntur*, magis magisque in dies obsolescere.

Unum tantum populum eumque minus rerum gestarum et eruditionis fama clarum, quam stirpis antiquitate, morum perseverantia, ingenii pervicacia et fortunae vicissitudinibus memorabilem, spectant perpauca illa scripta, quae Hebraeo sermone consignata ad nos pervenerunt. Hinc, vel me non momente, quivis facile intelliget, studiis humanitatis nihil fere rei esse cum studio linguae Hebraeae, quod, quia pleraque, quae hac lingua exarata sunt, ritus sacros et omnino religionem tradunt, solos occupat theologos et partem ipsius studii theologici efficit. Grammatica tamen linguae illius structura, constructionis simul simplicitas et admiranda varietas, idearum in omni vocabulorum penuria luxuries si in mentem veniunt, dicere ausim, callere eam debere omnes philologos, qui ex eius cum serioribus linguis comparatione non sine voluptate quadam animadvertent, quantum genus humanum in formandis linguis a tenui initio profecerit, quantum vero etiam vel perfectissimae linguae, si ad naturae leges revocetur, cum illa omnium simplicissima intercedat similitudinis.

Historiae et, quae arcte cum ea cohaeret, *geographiae* studium mirum quantum ad humanitatem conferre, omnium fere, quorum unquam hac de re judicium fuit, consensu probatum est. Ac nescio an, re accuratius perpensa, eodem loco habendum sit, quo studium literarum latinarum et graecarum. Historia enim, ut bene dixit *Schillerus* noster, summum est totius orbis terrarum tribunal, quod, nemini favens, nemini adversarium, sed solius veritatis amans, memorabiles regum, ducum et populorum tam priscae quam recentioris aetatis res gestas in judicium vocat et, cum nulli rationi reddendae obnoxium sit, sine provocatione pronuntiat, quid cuiqui boni, quid mali patratum sit. Itaque cum omnibus rebus seu bonae seu malae memoriae, quae gestae sunt vel geruntur, et cum hominibus et populis, a quibus gestae sunt, familiares nos reddit. Dumque fata simul et mutationes regnorum et populorum narrat et luce clarius ostendit, omnem populum floruisse, donec animi fortitudo, morum severitas et castitas, prudens libertatis amor et religio apud eum viguerint, regna vero labefactata esse et suo quasi onere corruisse, in quibus mollities effeminata, pravae et impurae libidines, sensus servilis et vel superstitio vel omnium sacrorum impudica contemtio, velut totidem pestis genera, grassari coeperint; nonne divini oraculi instar magnae illius veritatis nos commonefacit, cujus nunquam immemores esse debemus, in virtute vitam, in vitiis interitum esse uti populorum, ita singulorum hominum. Praeclare igitur statuerunt, qui historiam scholam dixerunt generis humani, ad cujus praecepta unusquisque vitam suam conformare possit.

Certatum diu fuit, sitne *matheseis* etiam inter studia humanitatis recensenda, nec ne. Neque mirum, cum hinc amicorum matheseos parva stetisset manus, illinc adversariorum longe maior numerus, raro ancipite Marte pugnatum, et mathesin tandem pulsam fuisse. Qui vero fieri potuerit, ut mathesin quisquam hostili animo insectaretur, equidem non intelligo. Nisi forte dicat aliquis, plurimos eorum, qui adversarii matheseos exstiterint, eius plane ignaros fuisse, atque ita plerosque hominum constitutos esse, ut, quae igno-

rent ipsi, parva et inutilia, immo noxia putent [2]). Qui si operae pretium duxissent, rem diligentius inquirere, inventuri fuissent, mathesin menti formandae et exercendae quam aptissimam esse. Tractat enim rerum quantitatem, quae primaria est omnium, quae cogitamus, forma, et sine qua ea, quae revera sunt, nullo modo cognoscere possumus. Atque in eo ita versatur, ut a simplicissimis et indubitatis ordiens principiis continuo ordine ad majora et altiora progrediatur, mentemque sensim assuefaciat, strictum et rectum ordinem in cogitando sequi. Nihil porro dum admittit, nisi quod principiis illis consentaneum est, phantasiae vim coercet et cavet, ne ficta pro veris habeamus. Praeterea sua quibusque rebus certa et immutabilia assignans nomina, clare, accurate et concise loqui nos docet. Quid, quod sensum veri in homine excitat, alit et acuit, adeoque ad mores etiam formandos utilissima est? [3]) Haec omnia tanti sunt, ut, qui mathesin ex studiis humanitatis tolli debere clament, non humanitati modo, sed ne doctrinae quidem solidiori bene consultum velle putandi sint, et maximus illis civitatibus debeatur honos, in quibus mathesis, diu neglecta, ita in jura sua restituta est, ut eius institutio singulari curae unius viri demandata sit, quod nobis etiam ultimis hisce temporibus obtigisse, summopere gaudemus.

Denique cum *humanus* dici nequeat, qui, quid homo, quid ipse sit, nescit, ad studia humanitatis referendae etiam sunt *philosophiae* eae partes, quae ad aureum illud γνῶθι σεαυτὸν viam pandunt, *anthropologia philosophica psychologia empirica, quae dicitur, et logica*. Harum prima universam tractat et explicare studet hominis naturam. Secunda functiones animae tradit, quatenus illae usu innotescunt. Tertia primo leges exhibet, quas mens in cogitando sequitur, deinde speciem detegit, quae errorum causa est, docetque qua ratione ab ea caveri possit, quam ob rem recte a quibusdam *grammatica mentis* dicta est. Eadem

---

2) Possit et alia hujus rei afferri ratio. Notum enim est, quantum differant inter se demonstrationes theologicae et mathematicae, et quantum illarum cum his collatarum levetur auctoritas. Sap. sat.

3) Zweck und Umfang des mathematischen Unterrichts auf Gymnasien, von Dr. Ernst Nizze.

enim est eius ratio ad mentem, quae est grammaticae ad linguam, qua carere si possumus ad bene loquendum, etiam illa ad recte cogitandum non opus erit.

Restat, ut, expositis singulis, quae ad humanitatis studia pertinere censemus, iam ad rem veniamus et quaeramus, *cui usui sint haec studia in specie theologo;* in quo breviores esse licebit, quia, quae prius de eorum usu annotavimus, de eruditis in genere, ergo de theologis etiam, valent.

Ut igitur eundem servemus ordinem, quem supra instituimus, primum dicendum erit de sermonis latini *in theologiae studio utilitate et necessitate;* quam permagnam esse, facili opera ostendi potest. Omnis enim religionis et theologiae christianae fundamentum primarium est testamentum novum; quod, etiamsi graece scriptum sit, auctores tamen habuit viros Judaeos, qui illo tempore vixerunt, quo omnis Judaea Romanorum erat et procul omni dubio, quod victis semper accidere solet, ad Romanorum leges, mores et consuetudines, quoad religionis praecepta non repugnabant, fingi inceperat; unde neminem offendet, in Judaeorum scripta, quae tum prodierunt, et praesertim in testamentum novum multa irrepsisse, quorum explicatio ab auctoribus latinis petenda sit. Ipsius vero novi testamenti, exceptis sermonibus a Christo habitis, medullam dixeris epistolas Pauli apostoli, quarum plures Romae scripsit, ubi biennio captivus detinebatur. Erat autem Roma tum temporis omnis veterum sapientiae sedes, neque magis quidquam verisimile est, quam Paulum ibi occasionem tam opportunam, auctores latinos et graecos legendi, et cum clarissimis illius aetatis philosophis, e quibus unum Senecam nominare sufficit, disserendi, ambabus manibus, ut ajunt, arripuisse, et quae vel legerit, vel audierit utilia, in usum suum convertisse suisque scriptis immiscuisse. Quo supposito minime absurdum erit statuere, locos difficiliores in Pauli epistolis melius expediri posse, si ad eorum explicationem latinis auctoribus magis utamur, quam hucusque factum est. — Praeterea patrum ecclesiasticorum scripta, quamquam tanti non habenda sunt, [4]) quanti a

4) *Excusemus patres, utcunque poterimus, sed sputa eorum lingere aut errata defendere tandem aliquando desinamus.* Christ. Thomâsius in notis ad Lancelottum, pag. 693.

quibusdam venditari solent, theologo tamen ignota esse non debent. Et quomodo graeca eorum opera leget, qui latina non potest? Ut patres non sint, quot prodierunt et hodie etiam prodeunt eximia doctissimorum theologorum scripta, latino sermone composita, necdum versa, ad quorum profundam doctrinam sola lingua latina recludit aditum? — His omnibus consideratis persuadere sibi quivis poterit, tantae utilitatis esse in theologia linguam latinam, ut omnes theologos eius quam peritissimos esse oporteat.

Neque magis theologus studio *graecae linguae* subducere se debet. Miseri enim sunt *theologunculi*, quibus novum testamentum, graece scriptum, non nisi ex versionibus notum est. *Theologi* nomine ornari qui cupit, eum non solum peculiare dicendi genus, in novo testamento adhibitum, perspectum habere necesse est, (quod sine familiari consuetudine cum sermone hebraeo fieri nullo modo potest) sed etiam in scriptis auctorum graecorum non mediocriter versatum esse, qui quantum faciant ad sacri codicis christiani explicationem, aperte docent aeterna illa eruditionis monumenta clarissimorum interpretum, *Wetstenii*, *Krebsii*, *Limborchii*, *Griesbachii*, *Koppii*, *Rosenmülleri*, aliorum. *Carpzovius*, qui ex uno *Philone* novam plane lucem accendit Pauli epistolae ad Hebraeos, viam praemonstravit, quam viri docti ingredientes optime de theologiae studio mereri poterunt et, quo magis procedent, eo clarius ostendent, quanto usui sit in theologia studium literarum graecarum.

Ut supra diximus, omnem theologiam christianam niti nitique debere explicatione sacrae scripturae, [5]) ita iam negamus, bonum esse nostris temporibus sacrae scripturae interpretem eum, cui variae, quae variis temporibus obtinuerunt, eius explicationes quaeque inde pro fide et moribus derivata sunt, non innotuerint. Haec autem discuntur tum ex ipsis interpretum scriptis, tum ex historia eccelesiastica, quacum iuncta est historia dogmatum, a recentioribus separatim tractari coepta. Cum vero gesta et decreta syno-

5) Omnem rerum ordinem invertunt, risumque simul et misericordiam movent, qui primum placita quaedam et praecepta religionis raptim consui atque in doctrinae perpetuis praeceptis ordinatae modum redigi iubent, cui deinde interpretatio sacri codicis superstruatur!! Quidni aedificiorum quoque structuram a tectis inchoari iubent?

dorum, ecclesiae mutationes externae et internae, hinc haereseos, illinc damnandi studium varie etiam rerum civilium ordinem mutaverint, et vicissim rerum civilium status magnam vim habuerit in statum ecclesiae, mire falluntur, qui historiam ecclesiasticam ab historia civili prorsus sejungunt. Altera enim sine altera manca est et imperfecta, iunctae vero mutuo sibi lucem afferunt. Quot homines, res, ritus, mores, regiones, urbes, maria, flumina, montes a scriptoribus sacris et ecclesiasticis obiter tantum commemorantur, de quibus si quis plura scire desiderat, consulendi sunt scriptores historiae civilis et geographiae, quorum scripta cum non semper ad manum sint, memoria tenere debet, qui inscitiae ignominiam effugere studet. Turpissimum enim est, in rebus historicis, quas omnes eruditos scire decet, theologum aut inscitiam fateri, aut labi errore et temporum rerumque rationes miscere. Plura hanc in rem in medium proferri possint; sed ex his, quae diximus, satis perspicue intelligi potest, theologo, seu decoris seu utilitatis rationem habeat, historiae et geographiae studium minime negligendum esse.

At quem tandem fructum ex *matheseos* studio petat theologus? Magnum aio, immo amplissimum. Quid enim utilius esse potest theologo, quam ut mature assuefiat, propriis, si fieri possit, videre oculis in re tanti momenti, quanti est religio, ubi aliorum auctoritate duci summum damnum et maxima contumelia est? Quem magis oportet quam theologum, in rebus, nulli sensuum obiectis, cavere, ne phantasiae ludo ad fanaticas et mysticas opiniones abripiatur, omni rationis principio destitutas, quales iam a circumforaneis theologicis et philosophicis innumerae venundantur, atque ita avide arripiuntur, ut, nisi alter Hercules existat, qui hydram istam conficiat, de omni sana theologia desperandam sit. Quem magis decet, totum sensu veri imbutum esse, nihil sectari nisi veritatem, de rebus, quae in dubium vocari possunt, non arroganter pronuntiare, sed aliorum etiam audire sententias, neque statim, si qui contrariam proferunt poinionem, damnare, quo nihil inhumanius et stultius cogitari potest? Quem denique magis credimus in dicendo accuratum esse debere, et providere, ne, obscuris utens vocabulis, vel superstitionis fomitem, ubique obvium, in auditorum animis alat atque incendat, vel

in inania de vocabulis incurrit certamina, quibus theologi, cum haud raro de lana caprina rixati sint, orbi literato tamdiu ludibrio fuerunt, neque tamen quidquam profecerunt? Quodsi igitur, uti supra ostendimus, matheseos studium prae ceteris idoneum habendum est, quod eiusmodi virtutes et excitet et alat, quid causae est, quin illud omnibus theologis utilissimum dicamus?

Aedificium theologiae christianae qui propius inspexerit, tria potissimum animadvertet, quae illius exstructioni inserviunt, explicationem sacri codicis, historiam ecclesiasticam, de quibus jam supra dictum est, et *philosophiam*. Harum duae priores materiam subministrant, posterior formam, sine qua nulla esse potest scientia, vere hoc nomine digna, si quidem scientia appellatur, in qua singulae partes communi vinculo ita iunctae sunt, ut unum quoddam efficiant atque ab initio usque ad finem arctissime inter se cohaereant. Formam vero aliam, quam quae materiae congruens sit, cum dare philosophia neque possit neque velit, primum materiae partes rationis ope, quae sola in his rebus lapidis lydii loco est, examinare debet, deinde videre, qua ratione optime inter se jungantur. Quem in finem inquirens, quid menti humanae solo rationis lumine de religione patefiat, quibus argumentis probari id possit et quis sit eius in theologia christiana usus, theologiam naturalem, totius philosophiae coronam, tradit, cuius ope statuta et praecepta religionis christianae ordinet, aliud ex alio sequi ostendat, doceatque, vel consentanea ea esse rationi vel saltem non repugnare, ubi illam superent. Egregiam hac in re opem fert *logica*, qua duce theologus argumenta vana et levia a veris et gravibus discernet, ut falsis argumentis neque ipse decipiatur, neque aliis imponat, quod tam saepe a theologis factum esse atque etiamnum fieri, eo magis dolendum est, quo magis periculum est, ne ipsa religio detrimentum inde capiat. Constat enim, homines haud raro argumenta cum rebus demonstrandis permutare, et si illa falsa esse deprehenderint, etiam has falsas ducere. Qui vero logices usus est in theologia theoretica, idem est *anthropologiae* et *psychologiae* in theologia practica, quae nulla est, si naturae humanae ignara nescit, quae impedimenta virtutis in pravis animi affectibus et perturbationibus, in con-

suetudinis vi, in exemplorum illecebris, sita sint et quomodo superari possint. — Praeterea de tota philosophia — non de philosophorum quorundam commentis, quae nonnunquam merae argutiae sunt — similia ac de mathesi praedicari possunt, ut oculis et luce generi humano interdicere videantur, qui philosophiam et rationis usum e theologia tollunt, neque theologus existimandus sit, qui non idem sit philosophus.

Haec sunt, quae de studiis humanitatis eorumque in theologia usu exponenda videbantur. Multa quidem vel copiosius et prolixius tractari vel exemplis illustrari debebant; sed nos neque ii sumus, qui doctrinae famam scriptis huiusmodi consequi velimus, neque per exiguum paginarum numerum publice nobis hanc in rem praescriptum uberioribus esse licuit. Et tamen nihilominus promisso ita nos stetisse existimamus, ut nulli theologo, rationes, quas attulimus, attente perlegenti et serio reputanti, dubium esse possit, quin studia humaniora in theologia utilissima et pernecessaria sint, praesertim si cogitaverit, his studiis adiutos maiores nostros almum illum solem ex oceano tenebrarum evocasse, qui seculo decimo sexto religioni illuxit, radiis suis illorum quoque nebulam scissurus, qui primo lucem eius aversabantur et summo odio habebant; quo praelucente, non fraude, non armis bellicis, sed solius veritatis vi magnum illud ius, omnium maxime legitimum, expugnatum est, libere de rebus divinis iudicandi et libere sacra publica curandi. Atque haec cogitatio nostros inprimis theologos movere debet, ut studiis illis maximam, quam poterunt, operam navent, eaque pro armis et telis habeant, quibus, si opus fuerit, gloriam maiorum sibi quoque vindicent. Magnis enim avis indigni sunt nepotes, qui libertatem, quam illi plurimo sudore partam posteris tradiderunt, iisdem, quibus recuperata fuit, armis, tueri nesciunt.

Nachricht

über die

Königliche Studienanstalt zu Zweybrücken,

im

Studien-Jahre 18 24/25.

A. Unterricht.

1. Lycealklasse.

Professoren: 1) Für lateinische Literatur — Tacit. Ann. L. XII. XIII. Horat. Ep. L. I. II. — Griechische Literatur — Soph. Oed. rex, Plato, Alcibiades minor. — Allgemeine Geschichte und Geschichte der griechischen Literatur Rector Oertel. 2) Für Logik, reine und angewandte Logik nach Kiesewetter; für die Religionslehre — natürliche Religion — Professor Zimmermann. 3) Für reine Mathematik — Logarithmen, cubische und biquadr. Gleichungen, Stereometrie und Trigonometrie — für angewandte Mathematik — Geostatik, Hydrostatik, Aerostatik, Mechanik — Professor Zäch. — Wöchentlich 26 Stunden.

Kandidaten dieser Klasse.

Namen.	Alter. Jahre.	Namen.	Alter. Jahre.
Friedrich Ley, von St. Alban	19¼	August Frik, von Landau	19
Friedrich König, von Ungstein	19	Carl Schultz, von Zweybrücken	20
Ludwig Laurent, von Landstuhl	19¼	Carl Eichholz, von Homburg	21¼
Ludwig Wild, von Zweybrücken	19½	Eduard Eppelsheim, von Herxheim	18
Heinrich v. Besnard, von Kusel	18¼	Heinrich Bollinger, von Rinschweiler . . .	20

Am 1. u. 2. September hatte die mündliche und schriftliche Prüfung statt, und sämmtliche Kandidaten legten überhaupt in ihren Fortschritten einen unzweifelhaften Beweis ab, daß der Zweck der Anstalt an ihnen erreicht wurde.

2. Erste (Ober-) Gymnasial-Klasse.

Klassenlehrer, der Lyceal-Professor Dr. Kirchner.

Lateinische Sprache in 7 Stunden. Ciceros Reden pro Archia, in Catilinam et pro Milone; aus Horaz 25 auserlesene Oden und 6 Briefe; poetische und rhetorische Stylübungen.

Griechische Sprache in 5 Stunden. Platos Phädon; Aeschylos Prometheus; Stylübungen.

Deutsche Sprache in 3 Stunden. Theorie der Poesie, besonders der lyrischen, epischen und dramatischen; Theorie der Beredsamkeit, nach Diktaten; Erklärung guter Muster; Stylübungen.

Geschichte in 2 Stunden. Die neuere, von dem Anfange der Reformation bis zum Zeitalter Ludwigs XIV., nach Breyer.

Kosmographie in 1 Stunde. Nach eigenem Entwurfe.

Mathematik in 3 Stunden. Theorie der quadratischen Gleichungen; arithmetische und geometrische Progressionen; Logarithmen; Planimetrie.

Verzeichniß der Schüler nach ihrem Fortgange.

Fortgangsplatz		Namen.	Alter. Jahre.	Fortgangsplatz		Namen.	Alter. Jahre.
*1	1	Carl Hofeus, von Rockenhausen . .	18½	17	7	Ernst Kornmaul, von Orb im Unter-Maynkreise	18½
*2	3	Ludwig Ausmann, von Zweybrücken .	17¾	17	13	Carl Baumann, von Einöllen . . .	20
*3	4	Ludwig Bürmann, von Mannheim .	19	19	22	Dominik Rebholz, von Edenkoben . . .	20
